



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Responsiones Scriptæ A Philippo Melanthone Ad Impios  
Articulos Bauaricæ Inquisitionis**

**Melanchthon, Philipp**

**Vvitebergæ**

**VD16 M 4171**

II. Quæ sint signa monstrantia Ecclesiam Dei?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36288**

tunt, si non retinent fundamentum. Sicut Papistæ  
defendentes adorationem panis in circumgestatio-  
ne, & mercatum Missæ. Item, Inuocationem mor-  
tuorum. Item, Delentes doctrinam de fide gratis  
ascipiente remissionem & reconciliationem. Ta-  
les blasphemii etiam si dominantur in Ecclesia, ta-  
men nequaquam sunt membra Ecclesiæ, nec uiua  
nec mortua, Sed prorsus existimandi sunt esse ana-  
themata, sicut Paulus inquit: Si quis aliud Euange-  
lium docet, anathema sit.

Respondi igitur clare, quid sit Ecclesia, &  
qui homines sint Ecclesia, & quomodo dicitur  
sancta. Iam dicamus de signis monstrantibus Ecclesi-  
am, & quomodo sit uisibilis.

## I

*Quæ sunt signa monstrantia Eccle-  
siam Dei?*

*Respondeo.*

*S*igna tria sunt monstrantia Ecclesiam, necessa-  
ria & uniuersalia, Doctrinæ Euangelij in-  
corrupta professio: Usus sacramentorum con-  
ueniens diuina institutioni, & obedientia debita  
ministerio Euangelij. De primo & secundo dicitur:

B 2 Ques

Oues meæ uocem meam audiunt. Item, Fundamen-  
tum aliud ponî non potest, præter id quod possum  
est, quod est Christus I E S V S. Item, Vna fides,  
unum Baptisma. Et de omnibus simul dicitur I.  
Cor. I. Idem dicatis omnes, nec sint inter uos schis-  
mata, & sitis coagmentati eadem mente & eadem  
sententia. Item, Obedite præpositis uestris. Hæc tria  
signa sunt necessaria.

Sed aduersarij deducunt homines ad alia  
signa, uidelicet ad politiam humana autoritate in  
Ecclesia constitutam. Dicunt signa esse Ecclesiæ  
ordinem Episcoporum, Romani Episcopi prima-  
tum, & deinde successionem ordinariam Episco-  
porum, & similitudinem rituum, qui humana au-  
toritate in Ecclesia instituti sunt. Hic breuis est  
responsio de Romano Episcopo & de alijs. Quan-  
tumcunq; amplificatur illa autoritas, tenendæ sunt  
hæ regulæ: Fugite Idola. Item, Si quis aliud Euau-  
geliū docet, Anathema sit. Cùm igitur manife-  
stum sit, Romanum Episcopum & agmen Episco-  
porum ipsi adiunctum defendere idola, & iniu-  
stam crudelitatem exercere ad delendam ueram  
doctrinam, necesse est ab eis dissentire, sicut necesse  
fuit dissentire & discedere à Iudaico Pontifice &  
Leuiticis Sacerdotibus, cùm tamen notissimum esset,  
sacerdotium illud diuinitus institutum fuisse. Nec  
necessariam esse similitudinem rituum humanorum

ix

in uera Ecclesia, manifestum est ex illis dictis:  
Regnum Dei non est esca nec potus &c. Item: Ne-  
mo uos arguat in cibo & potu &c.

### III.

*An sit visibilis Ecclesia?*

*Respondeo.*

**V**eram Ecclesiam etiam in hac uita esse uisi-  
bilem coetum, sed non ut regnum Pontifi-  
cium. Erat uisibilis coetus in Iudea audi-  
ens Zachariam & Simeonem, Maria, Elisabeth,  
Ioseph, Anna, & alij multi, etiamsi dissenserunt à  
Pharisæis & Zadducæis, qui ordinariam autorita-  
tem tenebant. Et quidem cum exerceant sœuiciam  
impij Pontifices in sanctos, manifestum est ueram  
Ecclesiam coetum uisibilem esse. Vult Deus agno-  
sci filium in genere humano, sicut dicit: Hunc au-  
dite. Et uult ministerium Euangeliū esse publicum  
& uisibile, sicut dictum est: In omnem terram ex-  
iuit sonus eorum. Et Dominus de uisibili Ecclesia  
loquitur, cum ait: Dic Ecclesiæ. Nec fingimus Ec-  
clesiam, quæ sit Idea Platonica, sed antea diximus  
quæ sit Ecclesia, & qui homines sint Ecclesia. Nec  
uult Deus doctrinam suam esse arcana Eleusinia.  
Ac adfirmamus nostros uisibiles coetus esse Ecclesi-  
am Dei, in qua multos uerè sanctos esse scimus, qui

B 3 habent